



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi  
Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ...  
Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri  
potuerunt, omnia**

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem  
Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;  
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd  
Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctiss. Primae Partis Opera Historica,  
Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia

**Trithemius, Johannes**

**Francofvrti, 1601**

Prologus Authoris.

**urn:nbn:de:0128-1-17297**

## Prologus Authoris.

**M**ULTORVM instantia sæpe rogatus sum, vt librum quem de scriptoribus Ecclesiasticis olim inchoaueram, iam pro notitia librorum habenda, quandoque naçta opportunitate perficiam. Diu fatèor distulisse, ne si tam ardua inconsulte aggredi præsumerem, æmulorum odia ex leuitate mea prouocarem. Nunc autem quemadmodum ad petitionem amicorum doctorum accessit consilium, qui ad hanc subeundam prouinciam me rationibus suis animarunt, non potui diuicorum petitionibus resistere, maxime cum hoc nostrum opusculum tantorum viro- rum patrociniò fulciatur. Cur enim odia detractorum metuerem, cum doctorum refugium mihi patere videam? Erunt, non dubito, qui laborem hunc nostrum dignum laudibus existiment, erunt etiam qui cum studio æmulationis vituperent. Quid enim? Ergo ne bonorum operum exercitia intermitteremus, ne odia æmulorum prouocemus? Absit. Malos quisque non imitatur offendit: qui autem inuidos offendere metuit, bonis iniuriam facit. Et quidem malis displicuisse laudabile est, qui nihil amare assolent, nisi eorum moribus comparetur. Iam nunc igitur amici importuni exactores suscipite librum de scriptoribus Ecclesiasticis compositum, quem sedulis precibus tanto cupiistis desiderio terminari. Feci quantum potui, & huic operi promptas vires impendi licet in multis affectu sit minor ipsa facultas. Ego enim cæcutientium more, ductu præcedentium patrum hanc syluam ingressus sum, & de illorum opusculis singula congrua meo proposito colligens, in hunc fasciculum comportauit. Multos etiam scriptores diutina inuestigatione repertos magnis sudoribus & expensis, catalogo nostro inserui. Non mireris optime lector si in librorum annotationibus ac titulis non semper mea tua concordet opinio. Quis in tam multimoda varietate librorum, singulorum opiniones enumeret, ne dicam concordet? Dabis ergo veniam si aliquando volumen aliter vel aliter inuenieris prænotatum quam tua capit opinio. Non enim singulorum diuersitates mihi licuit ubiq; exprimere. Nam (vt iam dixi) vestigia patrum sequutus sum, & ubi dissonabant illi quod verius credidi complexus: Tu autem si aliud quod solidiori veritate constet inuenieris, libenter tua cedam sententiæ. Placuit autem mihi nouo scribendi modo procedere, vt lector ipse notitiam librorum ex principiis facilius possit inuenire. Incipiens itaque ab apostolorum discipulis, vsq; ad vltimum annum Imperatoris Frederici tertii, domini videlicet millesimum quadringentesimum ac nonagesimum tertium, illustrum virorum deduxi catalogum, in quo non omnium, sed eorum duntaxat quos reperi nomina, dignitates, scripta, temporaq; signaui, apponensq; ex aduerso titulorum voluminum principia, inuisa autem spacio pertransiui. Quorundam tempora quibus claruerunt ad nutum reperire non potui, quos tamen vt visum mihi fuerat conuenienti loco collocaui. Et hunc in vtroque defectum scientis suppleat cognitio vt videlicet tempora singulorum computet, & transpositos ad loca sua reponat. Fateor me etiam plures præterisse consilio, quorum nec scripta inueniuntur facile, nec tempora. Noui quoque adhuc multos viros doctissimos viuentes, qui varia dicuntur edere opuscula, de quibus cum nõ sit mihi certa cognitio, malo transire silentio, quam incerta cogitare. Et (vt Hieronymi verbis utar) si qui de viuentibus adhuc scriptitant, a me in hoc catalogo prætermisisti sunt, non mihi, sed sibi imputent, qui scripta sua celare maluerunt quam in lucem venire. Sed credo quod scriptis suis & ingenio contenti, mei silentii dispendia non curabunt. Nam & eorum quos reperi, non laudes volui depingere, sed libros. Hoc enim studium posceret voluminis prolixioris. Vade nunc igitur in urbem opus nostro labore completum, vade & amatoribus librorum thesaurum expende quem contines. Quid times? Quid trepidas? Quid moraris? Noli timere prodire in publicum, odia æmulorum ne metuas, tot sanctorum patrociniò suffultum. Eia liber exilis quidem ingenii, sed magnarum rerum ostensor. Quid est quod velut ignauus inutilisq; formidas? Egrederere confidenter, te laudabunt mille, dum vix vnus vituperat. Amor Dei quo scriptus es te cum auctore semper & ubiq; clemens precor excuset. *T. d. s.*

E O M-

COMM  
REVER  
P A T R

clisæ scripsisse Episto  
Ad Ecclesiam Corin  
Ad Iacobum quoq; A  
Præterea itinerariu  
Item disputationis P  
Hæc autem duo vlti  
Romana. Feruntur e

DIONYSIUS

lum Apostolum conu  
pus ordinatus est, vir  
sum Apostolorum, b  
& Eleutherio diacon

30 eius locum ordinatio

De quibus apud latin

De celestis hierarchie

De Ecclesiastica hier

De diuinis nominibus

De mystica theologia

De symbolica theolo

Ad Caium

Ad Dorothæum min

Ad Zosipatrem sacer

40 Ad Polycarpum

Ad Demophilum

Ad sanctum Iohanne

Ad Apolloniam

De obitu Pauli ad Ti

Hæc sunt quæ de scrip

apud Græcos remansi

sequentium patrum e

posuit Iohannes Scot

Lincolniensis, Albertus

50 est in promptu remin

focis supradictis, sub c

nonagesimo. Sepultu

LVCIVS ANNE

trius Lucani poetæ, v

celebratum in catalog

Apostoli amicissimus

Hunc biennio ante q

cuius aliquando discip